



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De  
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDXXXIV.**

**VD18 90392167**

Q. 1. Quænam requiruntur, ut peccatum censeatur reservatum?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41032**

catis, salvâ potestate absolvendi ab aliis. Ex Trid. sess. 14. c. 7. & can. 11. constat à Papa pro tota Ecclesia, & ab Episcopis pro sua Diocesi reservari posse peccata, à quibus alii non possint validè absolvere sine potestate ab illis delegata. Ratio est: quia ad validè absolvendum requiritur jurisdictio, quæ cum sit penes dispositionem Ecclesiæ, potest ab ea restringi, negari, & subtrahi.

*Q. 1. Quænam requiruntur, ut peccatum censeatur reservatum?*

*Resp.* Ex praxi Ecclesiæ tria requiruntur. 1. Ut sit mortale, nam venialia non reservantur, cum non sint materia necessaria Confessionis. 2. Ut sit externum; nam licet mere interna possint absolutè reservari, cum ad ea remittenda requiratur jurisdictio, quæ potest à Prælati Ecclesiæ restringi & denegari; tamen ipsâ sola externa communiter reservantur: quia hæc reservatio ordinariè sufficit ad bonum regimen animarum. Ut autem peccatum externum censeatur reservatum, non sufficit quod habeat mortalem malitiam ex actu interno: sed insuper requiritur ut ipsa actio externa habeat malitiæ gravitatem; nam reservatio præcipuè cadit in actum externum malum, ac proindè requirit actum externum mortalitèr malum ex objecto. Et sicut sola voluntas interna non reservatur; ita nec quando non procedit in actum externum habentem ex se gravem malitiam. Hinc si fur-

tunt

tum in loco sacro esset reservatum, & aliquis aliquid leve haud sufficiens ad mortale surripisset ex voluntate aliquid notabile surripendi si occurrisset, tale furtum etsi mortale, reservatum non esset. 3. Ut peccatum sit consummatum, nisi aliud in statuto exprimatur: quia reservatio, cum sit quid odiosum seu onerosum, est strictæ interpretationis. Hinc reservata fornicatione, vel homicidio, non reservatur voluntas interna fornicandi, etiam adhibito externo conatu, nisi fuerit copula carnalis; nec percussio gravis ex animo occidendi, nisi sequatur mors. Dixi, *nisi aliud exprimatur*, nam aliquando reservantur etiam actus non consummati: sic sola provocatio ad duellum, & ejusdem acceptatio expressè reservantur, etiam si non sequatur conflictus.

Sunt qui docent peccata impuberum non esse reservata, nisi exprimantur; quia in ipsis non reperitur necessitas Episcopalis correctionis: hoc tamen pendet ab Episcoporum arbitrio; quare eorum intentio ab ipsis exquirenda est: nam cum impuberes possint esse subjecti censuris, quidni & reservationi? Porro contrahitur reservatio etiam invincibiliter ignorata, nam non est proprie poena, nec contumaciam requirit, ut Censura.

*Q. 2. An peccata dubia censentur reservata?*

*Resp. Neg.* Plurimi in dubio facti: quia reservatio cum sit odiosa, debet restringi ad casus certos, non extendi ad dubios. Ideo quæ  
reser-